Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2341
Quelle:
Copyright:

An lingua Autoris patria, videlicet *gallica*, etiam prodierit, doceant peritiores Bibliographi. Codices mſ. certe non deſunt.

III. *fol.* 103. *Caſus* reſeruati Papae. Multoties editi.

IV. *fol.* 103. p. 2. *Epiſtola beati bernardi ad quendam nobilem militem de cura et modo familiam vtilius regendi.* Initium: *Generoſo et felici militi Raymundo domino caſtri ambroſij Bernardus in ſenium deductus* &c. Jam *Codd.* aliis *Claraevallenſi* abjudicata et tributa *Carnotenſi.*

V. *fol.* 105. *Exhortatio ut quilibet curam gerens anime ſue carnis refrenet voluptatem et mundi fugiat vanitatem.* Carmen leoninum, quod incipit:

O tu qui tranſis, qui neſcis, craſtinus an ſis,
Id quod delectat, non te, cum ſit breue, flectat.
Carnem compeſce, precioſe ſint procul eſce &c.

Verſuum 60.

VI. *fol.* 106. Satira brevis ex Evangelii dictis conſarcinata in avaritiam Curiae Romanae, ſatis inſulſa. Initium: *Paſſio domini noſtri pape ſecundum marcam auri et argenti. In illo turbine dixit papa Bononie diſcipulis ſuis: Cum venerit filius hominis ad ſedem maieſtatis noſtre tunc dic Hoſtiarie illi. Amice ad quid veniſti et ſi perſeuerauerit nil dans nobis, proice eum in tenebras exteriores* &c. Ultima: *Exemplum enim dedi vobis vt quemadmodum ego rapui, ita et vos rapiatis.*

VII. *fol.* 106. p. 2. *Epiſtola miſſa domino pape et Cardinalibus per luciferum principem. Lucifer princeps tenebrarum triſtia profundi regens* &c. ut *Codd.* variis.

VIII. *fol.* 108. *Exhortacio bona ad bene viuendum et operandum.* Rurſus carmine:

O bone mons fortis chriſti protecte ſub alis
Per celerem curſum properas ad premia ſurſum,
Nulla ſiniſtrorſum te flectant, nulla deorſum &c.

Verſuum 58. Ejusdem cum ſuperiori venae, ut videtur.

IX. *fol.* 109. *De flebili ſtatu Preſentis Romane Curie.* Incipit:

Propter Syon non tacebo,
Sed ruinas Rome flebo &c.

Fragmentum tantummodo longioris rhythmi, qui extat inter *Varia doctorum piorumque Viror. de corrupto Eccl. ſtatu Poemata*, ex edit. *M. Flacii Illyr. Baſil.* 1557. p. 408. 8. Nobis deſinens in haec verba: *carinam pecunie.* —